RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA ERUDITIONIS

PRAEPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCLVII

INDICIT.

Praemissa est Reinholdi Klotz de emendationibus quae per coniecturam fiunt commentatio prima.

LIPSIAE
PROSTAT APUD A. EDELMANNUM,
BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

57

Quom ante ferias autumnales Antonius Westermannus, collega coniunctus mecum quom communis officii et muneris necessitudine tum artissimis amicitiae vinculis, me rogasset, ut, quom ipse propter gravem morbum oculorum scribere non posset, suo loco libellum Academicum conficerem, cum diceret, nisi quid aliud paratum haberem, posse me fortasse ex scholis meis aliquid, quod hominum cognitione non indignum videretur, foras dare, ut optimo amico satis facerem, statim cogitavi de scholis meis, quas superiore tempore de arte critica habueram, ex iisque eum locum deligendum putavi, in quo de ea eius artis parte praecepta a me data sunt, quae quom tota in suspicionibus et coniectura posita esse videretur, ideo coniecturalis critica appellata est. Quae disciplina quom minime ab opinionis arbitrio seiungi et certis artis legibus astringi posse videretur, a multis plane pro ludibrio habita est atque ita tractata est, ut in ea exercenda arti nihil tribuendum, lubidini omnia concedenda esse existimarent. Quapropter iuvenes discendi cupidos et optimarum artium studiosos magno opere hortandos esse putavi, ut ne in ea artis criticae parte, quae si recte tractaretur, sine dubio summum splendorem atque ipsum disciplinae nostrae florem haberet, nihil scientia comprehendi, nihil certa lege iudicari posse opinarentur, ne et tempus suum in re inani consumerent et, quom summam laudem adipisci vellent, maximum erroris periculum adirent et in ipsum existimationis suae

discrimen adducerentur: neque enim umquam, qui summo suo honore summaque artis nostrae laude in ea disciplinae parte elaborassent, se legibus solutos putavisse in hoc immenso campo vagari libere posse, verum in hac quoque muneris sui parte legibus certis et praeceptis artis, quae aut ab aliis accepissent aut ipsi sibi constituissent, diligenter obtemperavisse. Qua in re demonstranda rationibus certis, quas sequendas esse existimarem, propositis plerumque exemplis earum rerum omnium a me ipso petitis usus sum, non gloriolae captandae causa, sed quia in eis rebus, quas ego invenisse viderer, illa momenta, quibus ipse in singulis rebus investigandis ductus essem, a me melius expediri atque enucleari posse videbantur quam rationes aliorum. Illa vero, quae tum a me exposita sunt uberius atque explicatius, hic iam breviter ac summatim percurram.

Ante omnia igitur universum illud criticae artis praeceptum obtinendum atque argumentis confirmandum putavi, ut hoc statueerem, nullum locum temere ulla coniectura esse temptandum, nisi prius omni modo id esset exploratum, eum locum ita, quem ad modum nobis librorum testimonio traditus esset, non posse pro sano haberi: sin autem certo comperissemus aliquem locum esse corruptum, ita eum emendandum videri, ut emendatio inventa non solum sententiae unius cuiusque loci prorsus conveniret neque in se ullam dubitandi causam haberet, verum etiam id, quod litterarum monumentis de eo loco ad nos perlatum esset, quoad eius fieri posset, ita in se reciperet et contineret, ut non solum causa emendationis, sed corruptelae etiam ratio plane exstaret, ne coniectura nostra aut omnino a vero aberraret aut, si ab una parte loco convenire videretur, ab altera parte claudicaret: vere enim id demum coniectum videri, quod a sententia aeque atque a scripto commendaretur. Hoc universum coniecturalis criticae praeceptum quom latius pateret atque ad omnes fere locos, qui coniectura

sanandi essent, pertinere videretur, id ego paucis iam hoc loco exemplis confirmandum putavi, in quibus emendatione nostra sententia cum eo, quod scriptum esset, ita congruere videretur, ut dubitationi locus relictus vix esset. Ac primum quidem commemoravi Aristophanis locum difficiliorem ex Acharnensibus v. 928., quem versum, quom illud, quod in libris esset scriptum:

ὥσπερ κέραμον, ἵνα μὴ καταγῇ φορούμενος

propter ipsum metrum ferri nullo modo posset, alii aliter corrigendum, multi autem suppositicium esse totum pronuntiaverunt. Quod non fecissent, credo, si cogitassent unius litterae mutatione rem posse confici, ut totus locus, ex unius libri indicio personis paulo aliter constitutis, sic scriberetur:

ΝΙΚ. μαρτύρομαι. *ΔΙΚ.* ξυλλάμβαν᾽ αὐτοῦ τὸ στόμα.
ΒΟΙ. δός μοι φορυτόν, ἵν᾽ αὐτὸν ἐνδήσας φέρω
ὥσπερ κέραμον, ἵνα μὴ παταγῇ φορούμενος.

ἵνα μὴ παταγῇ φορούμενος, id est, 'ne dum portatur adlidendo clangorem edat'. De eo enim sycophanta, cuius vocem compescere volebant, iam non hoc cavendum erat, ne frangeretur, sed ne creparet, dum ferretur. Ita leni mutatione sententia cum scripto conciliari posse videbatur. Sed aliquando in hac causa etiam audaciori coniecturae locum esse demonstravi Clementis Alexandrini loco sine dubio corrupto, qui in eius paedagogi lib. III. c. 10. §. 49. p. 104. ed. Sylb. p. 283. ed. Pott. ante me ita legebatur: ἔτι δὲ αὐτουργικῶς προκομίζειν χρὴ ἐκ τοῦ ταμιείου τὰς γυναῖκας ὧν δεοίμεθα καὶ τῷ μύλῳ προσελθεῖν οὐκ αἰσχρὸν αὐτάς, οὐδὲ μὴν περὶ τὸ ὕψος ἀσχολεῖσθαι, ὅπως θυμῆρες ᾖ τἀνδρί, ὄνειδος οἰκουρῷ γαμετῇ καὶ βοηθῷ· εἰ δὲ καὶ στρωμνὴν ἀνατινάξαι δι᾽ αὐτῆς καὶ ποτὸν ὀρέξαι διψῶντι τῷ γεγαμηκότι καὶ ὄψον παραθείη, εὐσχημονέστατα μέντἂν καὶ εἰς σώφρονα ὑγίειαν γυμνασθείη κτέ., quibus in verbis quem ad modum περὶ τὸ ὕψος ἀσχολεῖσθαι compositum est cum ceteris rebus, quae commemorantur hoc loco, intelligi plane

non potest, sed ne illud quidem, quod alii reponi eius loco voluerunt *περὶ τὸ ὄψον* aut *περὶ τὸ ὕφος*, eo loco sententia recipit. Quam ob rem fortiore hic medicina utendum fuisse docui scribendumque: *οὐδὲ μὴν περὶ τὸ ὕδωρ ἀσχολεῖσθαι, ὅπως θυμῆρες ᾖ τἀνδρί, ὄνειδος οἰκουρῷ γαμετῇ καὶ βοηθῷ.* Hoc enim mulieris officium similibus verbis descriptum esse ab Homero in Odysseae libro X. v. 358 sqq.

ἡ δὲ τετάρτη ὕδωρ ἐφόρει καὶ πῦρ ἀνέκαιεν
πολλὸν ὑπὸ τρίποδι μεγάλῳ· ἰαίνετο δ' ὕδωρ.
αὐτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ,
ἔς ῥ' ἀσάμινθον ἕσασα, λό' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο,
θυμῆρες κεράσασα, κατὰ κρατός τε καὶ ὤμων,
ὄφρα μοι ἐκ κάματον θυμοφθόρον εἵλετο γυίων.,

eumque poëtam saepe numero a Clemente Alexandrino etiam aliis locis esse expressum, vide quae scripsi ad Clementem Alex. vol. I. praef. p. IX. Sed quo magis non solum emendationis ratio, verum etiam corruptelae causa appareret, demonstravi *ὕδωρ* sine dubio olim in codice archetypo compendio suo *ὔ* (with Δ above) scriptum fuisse, indeque illam confusionem natam videri, conf. Frid. Jac. Bastii Commentatio palaeograph. p. 846 sq. ed. Schaef., itaque etiam hoc loco emendationem nostram cum eo, quod scriptum esset, ita congruere, ut dubitationi nihil loci relictum esset. Veni inde ad exempla Latina. Primum Plauti locum tractavi, qui habetur in Milite glorioso III, 1, 152. (v. 747 Ritschl.) nunc quidem sic scriptus:

Si íllis aegrest, míhi quod volup est, meó rem remigió gero.,

unde etiam hanc quasi proverbialem, si dis placet, formulam lexicographi attulerunt: *suo remigio rem gerere.* Sed quom in cod. vet. Camerarii scripta essent extrema eius versus verba sic: *me hore remigio rem gero,* in cod. autem decurtato: *me horem remigio*

rem gero, in cod. Vaticano: *meorem remigio rem gero*, in cod. Lipsiensi: *more remigiorem gero*, in codice archetypo suspicatus sum scriptum fuisse: *meo remigio rem gero*, id quod etiam in cod. Ambrosiano totidem litteris scriptum esse videtur. Hinc facili mutatione nasci veram eius loci emendationem hanc:

Si íllis aegrest, míhi quod volup est, meó remigio rémigo,

et in scholis meis tum ostendi et pronuntiavi in Annalibus philol. et paedagog. vol. LXXI. p. 203 sq., proverbialem autem formulam potius eius modi adferendam fuisse a lexicographis: *suo remigio remigare.* Deinde quibusdam Ciceronis locis usus sum, ut docerem eam demum emendationem veram videri, quae cum eo, quod scriptum esset, sententiam quasi conciliare videretur. In libro enim de natura deorum I. c. 29. §. 81. quod vulgo legeretur: *Quid? si etiam, Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis de deo cogitantibus speciem nisi hominis occurrere, tamenne ista tam absurda defendes? Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis: Iovem, Iunonem, Minervam, Neptunum, Volcanum, Apollinem, reliquos deos ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt, neque solum facie, sed etiam ornatu, aetate, vestitu: at non Aegyptii nec Syri nec fere cuncta barbaria* etc., verum esse non posse, primum quod asyndeton, quod esset post verba: *ut dicis*, vix posset ferri, tum quod in libris scriptis permultis eo loco aliquid scriptum esset, quod per se quidem intelligi non posset: *apparuisse*, sed tamen sine certa origine non potuisset oriri. Proposui igitur emendationem eius modi, quae quom sententiae satis faceret, etiam id, quod scriptum esset, non negligeret: *Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis: a parvis enim Iovem, Iunonem — reliquos deos ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt*, eodemque modo etiam in Ciceronis libro de legibus II. c. 4. §. 9. verba: *a parvis enim, Quinte, didicimus*, ostendi in libris corrupta esse, in quibus aut *apparuisse enim* aut *apparuisse uim* aut *apparuisse mi* eo loco scriptum esset.

Similem emendationem adhibendam esse dixi Ciceronis orationi pro L. Balbo c. 2. §. 6., ubi haec verba scripta essent in libris: *Haec sunt proelia Cornelii: talis in rem publ. nostram labor, adsiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum.* Recte enim Madvigium vidisse *proelia* intelligi eo loco non posse, sed non recte id verbum omnino deleri voluisse. Unde enim irrepserit in Ciceronis orationem, si olim nihil eo loco scriptum erat? Conieci igitur olim pro *proelia*, quod in libris est, scriptum fuisse *propria*, id autem, quoniam in verbis iis, quae ante leguntur, proelia memorarentur, ab librario negligenti in *proelia* mutatum esse. Coniecturam meam, quae confirmatur etiam eo, quod Cicero hunc ipsum locum c. 3. §. 6 extr. sic concludit: *Haec sunt omnia cum plena laudis tum propria Cornelii etc.* nuper etiam Io. Georg. Baiterus in editione una cum C. Halmio parata iudicio suo comprobatam recepit. Alius Ciceronis locus aptus ad id, quod demonstrare volumus, est in oratione pro L. Murena c. 15. §. 32., ubi vulgo ante me legebatur: *qui rex sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes et copias belli tantum ipse opibus conatuque valuit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis coniuncturum putaret.*, quibus in verbis et *ipse* pronomen ferri atque intelligi non potest et quod sequitur *opibus* non est in libris scriptum omnino. Ea igitur verba, quae sine dubio in cod. archetypo fuisse videntur: *tantum ipse conatuque*, ita emendanda putavi, ut scriberem leviter immutans litteras: *tantum spe conatuque valuit.* Sic non solum illud, quod in libris scriptum est, quantum fieri potest obtinetur, verum etiam ipsa sententia constat. Cicero enim eodem tempore in Catilinaria II. c. 7. §. 14. locutus similiter est: *non ille a me spoliatus armis audaciae — non de spe conatuque depulsus, sed indemnatus, innocens in exsilium eiectus a consule vi et minis esse dicetur.* Recte igitur meam coniecturam in hoc loco nuper etiam Car. Halmius secutus est, qui tamen

in simili causa non satis recte meam rationem videtur repudiasse in eadem oratione c. 14. §. 31., ubi quom in codd. plerisque scriptum esset: *sin haec bella gravissima victoriaeque eorum bellorum gravissimae fuerunt, cur Asiaticae nationes atque ille a te hostis contemnitur?* quod ferri propter eiusdem nominis repetitionem, quae ne idoneam quidem habet sententiam, non potest, in paucioribus libris emendatum est *gratissimae*, quod quom a litteris iis, quae in reliquis codd. sunt, minus recedere videretur, antelatum ab Halmio est ei emendationi, quam ego proposueram, *clarissimae.* Sed hoc ipso loco usus sum, ut auditores meos docerem id demum vere coniectum videri, quod, quom a scripto non longissime recederet, sententiae plane satis faceret. Nunc illud quidem, quod probavit Halmius, *gratissimae* minus recedere a scripto videri, sed sententiae parum convenire: debuisse enim dativum aliquem adiungi, velut *populo Romano* vel quid eius modi: illud autem, quod ego proposuissem, etiam si paulo longius, non tamen longissime recedere a scripto, sententiae autem prorsus convenire. Nam clarissimam dici victoriam in eius modi locis paene usitatum atque Ciceronis usu receptum est, conf. lib. de re publ. I. c. 3. §. 5. *Hinc enim illa et apud Graecos exempla, Miltiadem victorem domitoremque Persarum nondum sanatis volneribus iis, quae corpore adverso in clarissima victoria accepisset, vitam ex hostium telis servatam in civium vinclis profudisse* etc. orationis pro T. Annio Milone c. 28. §. 77. *Non queo vetera illa populi Romani gaudia quanta fuerint iudicare: multas tamen iam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam neque tantam.* Unum adiiciam locum, quo tum usus sum, ut docerem in emendatione suscepta sententiam cum eo, quod scriptum esset, plane congruere et quasi conspirare decere, Ammiani Marcellini, de quo dixi in Annal. philol. et paedagog. suppl. vol. X. p. 320. quique in lib. XXIV.

c. 1. §. 11. vulgo hoc modo scriptus habetur: *Acciderat aliud postridie dirum. Ventorum enim turbo exortus pluresque vertigines concitans ita confuderat omnia tecta, ut tabernacula multa conscinderentur et supini plerique milites sternerentur vel proni, spiritu stabilitatem vestigii subvertente.* Id quod scriptum in editionibus est, verum esse non posse recte vidit vir doctus in Nov. Museo Rhenano vol. I. p. 475., sed emendatio tamen verborum corruptorum ei parum processisse videtur. Voluit enim *supini pronique* scribi, *vel proni* autem quasi ex glossemate ortum prorsus deleri. Id neque optimam efficit sententiam et ab eo, quod scriptum est in libris, nimium recedit. Hoc igitur loco iuvenes discendi cupidos primum dispicere iussi, si quid in libris scriptum esset, quo uti possemus, deinde eos ad leniorem sanandi eius loci rationem adducere studui. Et e cod. ms. ad marginem ed. Wagner. adnotatum est *dispiritu* pro *spiritu*, quod etsi per se quidem nihili est et intelligi prorsus non potest, hanc tamen habet vim, ut nos ad id adducere possit, quod verum est. Demonstravi igitur auditoribus meis continua scriptione olim exaratum fuisse *velpronidispiritu*, ex eo autem mutatione unius litterae levissima, quae paene nulla esset, legendum videri *vel providi spiritu*, ut totus locus ita constitueretur: *ut tabernacula multa conscinderentur et supini plerique milites sternerentur, vel providi, spiritu stabilitatem vestigii subvertente*, id est, etiam si essent providi, cum spiritus stabilitatem vestigii subverteret. Hac emendatione iam sententia cum eo ipso, quod scriptum est, mirifice congruit.

Confirmato igitur hoc universo artis criticae praecepto et animis iuvenum ad recte iudicandum praeparatis deinceps ad singula emendationum genera ita perveni, ut in uno quoque genere certam viam ac rationem emendationis sequendam esse docerem, gradatim a facilioribus ac lenioribus emendandi modis ad difficiliores atque audaciores etiam coniecturas ascendens.

Ac primum quidem ab illo emendationis genere profectus sum, quod constat ex interpunctionis mutatione, quae quoniam in libris veteribus aut nulla omnino fuit aut etiam ita perversa, ut ei nulla plane fides haberi posset, hoc emendationis genus lenissimum ac paene nullum eo loco vix erat commemorandum, nisi et ipsum per sese in scriptis Graecis et Latinis etiam nunc iniuria esset neglectum et interdum aliae quoque emendationes ex eo proficiscerentur. Id ipsum exemplis aliquot in scholis meis demonstrare studui, veluti Aeschyli Agamemnone v. 645 sqq. ed. Herm., quo in loco quod vulgo male interpuncta erat oratio haec:

ἔπειτα δ᾽ ᾅδην πόντιον πεφευγότες,
λευκὸν κατ᾽ ἦμαρ, οὐ πεποιθότες τύχῃ,
ἐβουκολοῦμεν φροντίσιν νέον πάθος, κτέ.

exstiterunt nuper qui *αὖ πεποιθότες τύχῃ* scribere vellent, qui quidem recte senserunt verba *οὐ πεποιθότες τύχῃ* eo loco per se posita intelligi plane non posse. Nulla difficultas orta esset, si locus ita distinctus legeretur:

λευκὸν κατ᾽ ἦμαρ οὐ πεποιθότες τύχῃ,

ut haec sententia nasceretur: 'quamvis sereno die non tamen confidentes fortunae', qua in re permirum est Io. Franzium melius vertisse quam scripsisse Aeschyli versum, qui ita eum interpretatus est: '*misstrauten unserm Glück wir auch am heitern Tag.*' Deterior etiam causa est alius loci Aeschylei, qui in eadem fabula inde a. v. 1340. ed. Herm. habetur vulgo ita interpunctus:

οὕτω δ᾽ ἔπραξα, καὶ τάδ᾽ οὐκ ἀρνήσομαι,
ὡς μήτε φεύγειν μήτ᾽ ἀμύνεσθαι μόρον.
ἄπειρον ἀμφίβληστρον, ὥσπερ ἰχθύων,
περιστιχίζω, πλοῦτον αἵματος κακόν.,

quo in loco, ut taceam de constructione hac: *οὕτω δ᾽ ἔπραξα καὶ τάδ᾽ οὐκ ἀρνήσομαι, ὡς μήτε φεύγειν μήτ᾽ ἀμύνεσθαι μόρον*, quam ipsam soloecam esse dicerem, nisi magna G. Hermanni et F. G.

Schneidewini nomina revererer, ne sententia quidem constat, nisi scribitur:

οὕτω δ᾽ ἔπραξα καὶ τάδ᾽ οὐκ ἀρνήσομαι·
ὡς μήτε φεύγειν μήτ᾽ ἀμύνεσθαι μόρον,
ἄπειρον ἀμφίβληστρον ὥσπερ ἰχθύων
περιστιχίζω πλοῦτον αἵματος κακόν.

De hac ego interpunctione persuasi olim Io. Franzio, quem secutus est G. Dindorfius, ceteri editores, in quo numero miror esse Hermannum et Schneidewinum, ineptam interpunctionem etiam nunc obtinuerunt. Similem esse causam loci Sophoclei ex Antigona v. 489 sqq. deinceps demonstravi, ubi virgo generosa liberam adversus Creontem contumaciam adhibens haec fatur:

τί δῆτα μέλλεις; ὡς ἐμοὶ τῶν σῶν λόγων
ἀρεστὸν οὐδὲν μηδ᾽ ἀρεσθείη ποτέ,
οὕτω δὲ καὶ σοὶ τἄμ᾽ ἀφανδάνοντ᾽ ἔφυ.
καίτοι πόθεν κλέος γ᾽ ἂν εὐκλεέστερον
κατέσχον, ἢ τὸν αὐτάδελφον ἐν τάφῳ
τιθεῖσα; τούτοις τοῦτο πᾶσιν ἁνδάνειν
λέγοιτ᾽ ἄν, εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλείσοι φόβος.,

qua in oratione extrema nimio opere infringitur et debilitatur vis sententiae eo, quod verbis male distinctis id enuntiatum, quod adfirmandum atque per se ponendum erat, ad condicionis rationem revocatur. Quanto melius procedit sententia, si recepta, quae in plerisque libris est, scriptura locus ita distinguitur:

τούτοις τοῦτο πᾶσιν ἁνδάνει·
λέγοιτ᾽ ἄν, εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλείσοι φόβος.

Hoc igitur loco neglecta interpunctione deterior etiam scriptura verborum nata est. Aliud exemplum eius rei sumpsi a Lysia, in cuius oratione prima, quae est de caede Eratosthenis, quom vulgo §. 7. oratio ita interpungeretur: ἐν μὲν οὖν τῷ πρώτῳ χρόνῳ, ὦ Ἀθηναῖοι, πασῶν ἦν βελτίστη (ἡ ἐμὴ γυνή)· καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ

καὶ φειδωλὸς ἀγαθὴ καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα., propter usum nominis *φειδωλὸς* difficultates motae sunt, quas quum in Annalibus philol. et paedagog. vol. LXXI. p. 800. tum in scholis meis sic removendas esse docui, ut interpungeretur oratio in hunc modum: *καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ καὶ φειδωλός, ἀγαθὴ καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα.* collato versu e Sophoclis Antigona 245 sqq. *ἐκεῖ γὰρ οὔτε του γενῆδος ἦν πλῆγμ', οὐ δικέλλης ἐκβολή· στύφλος δὲ γῆ καὶ χέρσος, ἀῤῥὼξ οὐδ' ἐπημαξευμένη τροχοῖσιν κτέ.*, quo quidem in loco olim ex falsa distinctione: *στύφλος δὲ γῆ, καὶ χερσὸς ἀῤῥώξ, οὐδ' ἐπημαξευμένη τροχοῖσιν κτέ.* similes difficultates ortae erant. A Graecis scriptoribus deveni ad Latinos, apud quos itidem aliquotiens restituta vera interpunctione recta non solum sententia restituitur, verum etiam audaciores interdum mutationes verborum excluduntur, quo in genere adhibui docendi causa Plauti locum, qui legitur in Milite glorioso act. I. sc. I. v. 33 sqq., ubi quom libri meliores conspirarent in hac scriptura:

venter creat omnis has aerumnas: auribus
peraudienda sunt, ne dentes dentiant,
et adsentandumst quidquid hic mentibitur.,

a novissimis editoribus propterea mutata haec verba sunt, quod *auribus* tractum erat ad ea verba, quae sequuntur. Quod contra si scribas, id quod sententia ipsa postulat:

venter creat omnis has aerumnas auribus;
peraudienda sunt, ne dentes dentiant,
et adsentandumst quidquid hic mentibitur.,

omnia videntur congruere, ut ostendi in Nov. annal. philol. et paedag. vol. LXIV. p. 199 sqq. Non raro etiam in Ciceronis scriptis, quae saepe numero edita atque explicata sunt, interpunctionis emendatione sententiam emendari aliquot locis, quos tum tractavi, ostendere studui, veluti in epistolis lib. II. ep. 16. §. 2. quod vulgo edebatur ante me: *Quod autem in maritimis sum,*

facillime moveo non nullis suspicionem me velle navigare, id ferri propter ipsam sententiam nullo modo potest: neque enim *facillime* ullam vim ad ea verba habet, quibuscum coniunctum legitur. Scribendum fuit: *Quod autem in maritimis sum facillime, moveo non nullis suspicionem me velle navigare,* formula Ciceroni admodum usitata, vide epistolas ad Atticum lib. XII. ep. 34. §. 1. *Ego hic vel sine Sicca — facillime possem esse.* ib. lib. XIII. ep. 26. §. 2. *Ego, ut tempus est nostrum, locum habeo nullum, ubi facilius esse possim quam Asturae.* vide quae dixi ad illum locum in prooem. p. VII. In eiusdem Ciceronis epistolis lib. IV. ep. 12. §. 2., ubi caedes M. Marcelli a P. Magio Cilone perpetrata a Ser. Sulpicio narratur his verbis: *Post diem tertium — P. Postumius, familiaris eius* (Marcelli), *ad me venit et mihi nuntiavit M. Marcellum — a P. Magio Cilone, familiare eius, pugione percussum esse et duo vulnera accepisse —, sperare tamen eum vivere posse; Magium se ipsum interfecisse; postea se a Marcello ad me missum esse, qui haec nuntiaret etc.,* in extremis verbis parum commode procedit narratio. Scribendum erat: *sperare tamen eum vivere posse: Magium se ipsum interfecisse postea: se a Marcello ad me missum esse* etc. Unum addo Ciceronis locum ex epistolis ad Atticum lib. X. ep. 4. §. 6., quo tum usus sum. Verbis enim, quae ibi vulgo tam dissoluta leguntur, ut intelligi vix possint: *Haec sive iracundia sive dolore sive metu permotus gravius scripsi, quam aut tuus in illum amor aut meus postulabat. Si vera sunt, ignosces; si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem.,* tum denique Cicerone digna erunt, si ita scribas: *Haec sive iracundia sive dolore sive metu permotus gravius scripsi quam aut tuus in illum amor aut meus postulabat, si vera sunt, ignosces, si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem.* Sed nolo in re levi curiosum me videri, quam ob rem non addam nisi unum Nepotis locum, cuius scripta quom totiens a criticis edita et a ludi magistris explicata sint,

permirum est ne ab hac quidem parte esse perpurgata. Et tamen in eius vita Agesilai c. 6. §. 2 sqq. me quidem renitente in omnibus, quantum scio, editionibus perversa haec scriptura obtinetur: *Nam quom quidam adulescentuli, hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent et locum extra urbem editum cepissent, Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum locum occupassent et se id quoque fieri debere animadvertisse. Sic adulescentulos simulata laudatione recuperavit et adiunctis de suis comitibus locum tutum reliquit. Namque illi aucto numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi, eoque libentius, quod latere arbitrabantur quae cogitaverant. VII. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se numquam refecerunt neque pristinum imperium recuperarunt, quom interim Agesilaus non destitit quibuscumque rebus posset patriam iuvare.*, quamquam facile demonstrari potest interpunctionem esse perversam eo ipso loco, ubi capita dirimuntur, totamque orationem esse ita distinguendam: *Namque illi aucto numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi eoque libentius, quod latere arbitrabantur quae cogitaverant sine dubio. VII. Post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se numquam refecerunt neque pristinum imperium recuperarunt, quom interim etc.* Etenim illud confirmandum erat adiectis verbis *sine dubio*, quod illi cogitavisse dicebantur, minime in re historica extra omnem dubitationem posita adseveratio adiungenda. Amat autem Nepos hunc ipsum transitum in narratione ad rem novam per simplicem praepositionem *post*, veluti paulo ante c. 5. §. 1. dixit: *Post hoc proelium classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt* etc. in vita Pausaniae c. 2. §. 1. *Post id proelium eumdem Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum*

miserunt etc. denique in vita Timothei c. 4. §. 1. *Huius post mortem quom populum iudicii sui poeniteret* etc., ut etiam ab hac parte ratio nostra commendetur. Saepe etiam factum est, ut per falsam verborum distinctionem scripturae quoque falsae nascerentur, veluti in illo loco Sophoclis de Antigona v. 491 sq., quem supra p. 12 sq. usurpavi, tum in Luciani Gallo c. 19 extr., quo in loco ex perversa verborum coniunctione non solum scriptura in libris deterioribus mutata est, verum etiam personae, quae ibi loquuntur, inter se confusae sunt, ut docui ad eum ipsum locum p. 55. In ipsis Ciceronis scriptis usque ad hanc aetatem graves ex interpunctione neglecta corruptelae remanserant, quarum partem ipse mihi sustulisse videor, verbi causa in divinatione in Q. Caecilium c. 14. §. 46., ubi ante me perversa haec oratio fuit in editionibus omnibus: *Quid? cum commiserari, conqueri et ex illius invidia deonerare aliquid et in te traiicere coeperit, commemorare quaestoris cum praetore necessitudinem constitutam, morem maiorum, sortis religionem, poterisne eius orationis subire invidiam? Vide modo: etiam atque etiam considera.*, quae sine dubio ex falsa verborum distinctione nata, dein reclamantibus quidem multis antiquitatis testibus in omnibus libris propagata est, quamquam per se admodum est inepta, ut sane mirum mihi esse videatur potuisse Car. Ad. Jordanum virum doctissimum in I. G. Baiteri et C. Halmii editione meliore scriptura proposita ad librariorum mendum redire. Ac primum quidem sententia ipsa illam verborum coniunctionem non recipit. Non enim tam de invidia orationis Hortensii sermo esse potest, quam de vi ac potestate summae illius hominis eloquentiae, tum autem verba, quae sequuntur: *Vide modo: etiam atque etiam considera,* non habent quo referantur, si verbum *invidiam* ad antecedentem orationem adsumitur. Quom igitur non solum Pseudoasconius ad hunc ipsum locum p. 117, 9. ed. Bait. haec verba ita adferat, ut *subire* cum dativo hoc loco iunctum

esse significet, quom dicit: '*Poterisne eius orationi subire:* Translative dixit, ut *magno ponderi subire*', verum etiam Nonius p. 404, 3. aperte haec ex hoc ipso loco laudet: *poterisne eius orationi subire*, neque, si id spectamus, quod verum est, ab hac scriptura recedat Arusianus Messius, qui p. 259. Lindem. ex hoc loco itidem docere volt *subire* cum dativo esse constructum, mihi quidem nunc, ut antea, minime dubium esse videtur quin Cicero scripserit: *poterisne eius orationi subire. Invidiam vide modo, etiam atque etiam considera.* Sic enim vis orationis ipsa effertur, invidia autem nascitur tum demum, quom Q. Caecilius obrutus verbis Q. Hortensii eiusque eloquentia victus, quasi rem susceptam deserere videatur, adversarii impetum sustinere non potest. Quam facile autem, praesertim in continua scriptione, ex *orationi subire invidiam vide*, in codicibus oriri potuerit *orationis subire invidiam* apparet, ut si quis hanc scripturam contra trium grammaticorum testimonia tueri conetur, graviora ille argumenta adferre debeat quam illud est quod Jordanus meae rationi opposuit: 'Postquam *orationis* ob sequens *s* in *orationi* depravatum est, male *invidiam* cum *vide* a librariis coniunctum est.' Quod, si invertas rem, contra ipsum valebit. Alium locum Ciceronis deinceps usurpavi ex oratione pro A. Caecina c. 7. §. 20., ubi itidem ex falsa orationis distinctione falsa verborum scriptura orta est. Ibi vulgo haec oratio erat: *Caecinae placuit et amicis, quoad videretur salvo capite fieri posse, experiri.* §. 21. *Tum de castello descendunt: in fundum proficiscuntur etc.* Mire languet particula *tum* in illo narrationis loco. Quam ob rem ego recepta e melioribus libris scriptura *tamen* scripsi: *Caecinae placuit et amicis — experiri tamen.* §. 21. *De castello descendunt etc.* Quae ratio quom ab omnibus nunc accepta sit, non est quod explicatius de eo loco dicam, non magis, quam de simili loco eiusdem orationis, qui legitur c. 17. §. 50., ubi falsa verborum distinctione facta, inversa sententiae ratione

ante me negatio erat interposita, quae nunc rursus me auctore ab editoribus repudiata est. Unum addam Caelii locum ex eius epistolis ad Ciceronem lib. VIII. ep. 1. §. 4., ubi neglecta vera verborum distinctione adeo vox illata est in Caelii orationem, quae si iam tum a Latinis usurpata est, certe in sermonem urbanum nondum recepta erat, in verbis his: *urbe ac foro toto maximus rumor fuit te a Q. Pompeio in itinere occisum. Ego, qui scirem Q. Pompeium Baulis embaeneticam facere et usque eo, ut ego misererer eius esuriei, non sum commotus et hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi.* Hoc loco etiam contra auctoritatem cod. Medicei *esuriei* scriptum est, propterea, quia verba, quae discriminanda erant interpunctione, coniuncte scribebantur. Recepta autem libri Medicei scriptura *esurire* oratio mihi iam ita conformanda videtur: *Ego, qui scirem Q. Pompeium Baulis iam peneticam (πεινητικὴν) facere et usque eo, ut ego misererer eius, esurire, non sum commotus* etc. Nomen autem *esuries* a posterioribus demum scriptoribus neque casu genetivo umquam usurpatum est.

Omissis multis eius generis aliis locis, de quibus in scholis meis dixi et uberius docendi causa, quam hic fieri potest, explicavi, venio iam ad alterum emendationis genus, quod deinde tractavi, non minus facile per sese, quam illud prius, de quo usque adhuc dixi, quod fundum habet in continua scriptione verborum, quae olim erat in libris manu scriptis. Saepe enim verba continenter olim scripta falso ab librariis distincta sunt et multa inde menda orationis orta. Et unum quidem genus mendorum ex continua scriptione natorum id esse demonstravi, quod emendari ita posset, ut servatis omnibus litteris iis, quae in libris essent, tantum modo distinctio verborum melior fieret. Graeca eius rei exempla ad instituendos iuvenes maxime idonea posuit Fr. Jac. Bastius ad Gregorium Corinthium p. 575. ed. Schaef., quibus iam unum addam Aeschyli locum, de quo tum in scholis meis docendi

causa dixi, qui usque ad hoc tempus non recte distinctus est a criticis. Legitur is in Agamemnone inde a v. 847 ed. Herm. vulgo ita scriptus:

τρέφει γὰρ αὐτὸν εὐμενὴς δορύξενος
Στρόφιος ὁ Φωκεύς, ἀμφίλεκτα πήματα
ἐμοὶ προφωνῶν, τόν θ' ὑπ' Ἰλίῳ σέθεν
κίνδυνον, εἴ τε δημόθρους ἀναρχία
βουλὴν καταῤῥίψειεν, ὥστε σύγγονον
βροτοῖσι τὸν πεσόντα λακτίσαι πλέον.

Quibus in verbis tamen extrema haec oratio *ὥστε σύγγονον βροτοῖσι τὸν πεσόντα λακτίσαι πλέον*, si quis rem vere existimat, intelligi plane non potest, nisi scribatur: *ὥς τε σύγγονον βροτοῖσι τὸν πεσόντα λακτίσαι πλέον,* ut Strophius tria argumenta inter se cognata atque coniuncta haec posuerit. Silvam autem rerum ut a Latinis repetita *que* particula, sic a Graecis cumulata particula *τέ* effundi non est quod pluribus hic exponam. Omitto Graecos. Nam etiam a Latinis eius rei exempla multa peti possunt, veluti illud, quod est in Ciceronis oratione pro L. Flacco c. 17. §. 41., ubi quom in libris melioribus haberetur: *cuius mors te aliqua relevavit,* pro eo, quod ex interpolatione legeretur: *cuius mors te ex aliqua parte relevavit,* scribendum esse docui litteris, quae in melioribus libris sunt, rectius distinctis: *cuius mors te aliqua re levavit: edacem enim hospitem amisisti.*, quod quom iam ab aliis quoque criticis comprobatum sit, non est quod explicatius de eo loco dicam. Similis causa est alius Ciceronis loci, qui legitur in oratione de lege agraria II. c. 34. §. 94. Ibi pro corrupto *quid enuntiasset*, quod vulgo legebatur, libri meliores habent *quod enunciasset.* Qua re ego totum locum ita constituendum putavi: *Iam vero — in Albana et Seplasia quae concursatio percontantium quid praetor edixisset, ubi cenaret, quo denuntiasset.* Hic quoque iam recentiores critici meam rationem secuti sunt, ut amplius commendanda non esse videatur. Usus sum tum docendi

causa etiam alio Ciceronis loco ex epistolis lib. VI. ep. 1. §. 6., ubi ante me legebatur: *Quod facere non debes nec dubitare quin aut aliqua re publ. sis futurus, qui esse debes, aut perdita non adflictiore condicione quam ceteri.*, quibus in verbis quom in cod. Mediceo pro *sis futurus* scriptum esset *si sis futurus*, quae scriptura e male separatis litteris continuae scriptionis sine dubio nata est, scribendum erat: *quin aliqua re publ. sis is futurus, qui esse debes.* Sed haec leviora atque ita facilia videntur, ut pluribus exemplis minime opus esse existimem. Venio ad alteram partem huius generis locorum, in quibus ex male separatis litteris novae etiam corruptelae sive mero errore sive inde, quod similes litterae, quae, ut bis legendae, maiusculis formis erant notatae, negligebantur, ortae sunt. Illius generis sunt hi loci, quibus docendi causa usus sum, Ciceronis ex epistolarum lib. I. ep. 10., ubi in verbis: *qui istinc nunc veniunt*, supervacaneum esse *nunc* iam Ernestius vidit, natum illud ex litteris male separatis *isti nc*, unde in cod. Mediceum a prima manu venit *isti nunc*, quia librarius putavit *nc* esse $\overline{nc}$, id est *nunc*. Legendum est omissa particula *nunc*: *Quamquam qui istinc veniunt partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas* etc. conf. epistolarum lib. VII. ep. 16. §. 3. *Qui istinc veniunt superbiam tuam accusant, quod negent te percontantibus respondere.* Porro commemorandus est locus, qui in Ciceronis epistolis legitur lib. V. ep. 18. §. 1., ubi in verbis his: *tamen te magno opere — rogo atque oro, te colligas virumque praebeas et qua condicione omnes homines et quibus temporibus nati simus cogites*, quom in cod. Mediceo ex continua scriptione *nosnati* vel *nōnati* legeretur *notati* pro *nati*, ego in eamdem coniecturam incidi, in quam inciderat Wesenbergius, ut scribendum existimarem *nos nati simus*, de quo nemo, credo, dubitabit. Similiter in Ciceronis epistolis ad Atticum lib. IX. ep. 4. §. 1., ubi vulgo legitur: *quae enim soluto animo familiariter scribi*

solent, temporibus his excluduntur., quod in cod. Mediceo a prima manu male separatis litteris scriptum est: *scribis o lente temporibus,* apparet scribendum fuisse: *quae enim soluto animo familiariter scribi solent, ea temporibus his excluduntur.* Sic enim non solum praeceptum nostrum exigit, quod iubet sententiam ab eo, quod scriptum sit, in emendationibus nostris non discrepare, verum etiam illud orationis membrum, quod continuo sequitur: *quae autem sunt horum temporum, ea iam contrivimus,* flagitat. Concinnitas enim eius modi sententiarum Ciceronis maxime propria est. Non aliter in epistolis ad Atticum lib. XV. ep. 15. §. 1. quod vulgo nulla librorum auctoritate ita scriptum legitur: *Ego testimonium composui; quod, cum voles, obsignabis. Tu nummos Arpinatum, si L. Fadius aedilis petet, vel omnes reddito.*, pro eo scribendum esse docui: *Ego testimonium composui, quod, quom voles, obsignabitur. Nummos Arpinatum — vel omnes reddito.*, quod paene totidem litteris scriptum esse ostendi in cod. Mediceo a prima manu, nisi quod litterae male separatae sunt: *obsignaui. Turnum mos.* Hoc erat olim *obsignavitur nummos.* Id autem nihil aliud est nisi *obsignabitur. Nummos.* Nam *u* et *b* confusas esse litteras multis exemplis demonstrari potest et alio loco tum a me demonstratum est. Recte igitur iam Lambinus in margine ed. 1581. *obsignabitur* adnotaverat, qui quid pronomine *tu*, quod ego delevi, fecerit nescio. Gravius etiam manus male separans litteras grassata est in epistolis ad Atticum lib. IV. ep. 5. §. 2., ubi usque adhuc legebatur: *Dices ea te monuisse, suasisse, quae facerem, non etiam ut scriberem,* neque bona sententia nec salva librorum auctoritate. Cod. enim Mediceus et ed. Rom. pro *te monuisse* habent *tenuisse*, quapropter ego scribendum esse putavi: *Dices eatenus te suasisse, qua facerem, non etiam ut scriberem.* Haec omnia non orta esse videntur nisi errore, sed interdum etiam ex scribendi compendio eo, quo in continua quidem scriptione maiu-

sculae litterae ponebantur, ut easdem litteras repetendas esse significaretur, nati errores sunt, quo in genere ad exercenda iuvenum ingenia aptissimus mihi visus est locus Ciceronis is, qui est in eius epistolis ad Atticum lib. VII. ep. 3. §. 4., qui quidem ante me vulgo ita scriptus ferebatur in editionibus: *His ille* (Caesur) *rebus ita convaluit, ut nunc in uno civi* (Cn. Pompeio) *spes ad resistendum sit, qui mallem tantas ei vires non dedisset, quam nunc tam valenti resisteret.*, quibus in verbis facile demonstrari potest grave vitium inesse, quia *spes ad resistendum* neque umquam ab Latinis scriptoribus dictum est neque hic dici potuit nisi perversa sententia. Huc accedit quod *spes* ne in libris quidem ipsis scriptum est. Aperte enim in cod. Mediceo et ed. Rom. *res,* non *spes,* eo loco scriptum esse traditur. Hinc apparet in cod. archetypo olim scriptum fuisse *inunocivIres,* quo compendio significabatur id legendum esse *in uno civi vires,* ut totus iam locus ita emendandus esse videatur: *His ille rebus ita convaluit, ut nunc in uno civi vires ad resistendum sint, qui mallem tantas ei vires non dedisset, quam nunc tam valenti resisteret.* Continuam autem scriptionem, quae olim in his epistolis fuit, agnoscimus etiam in extremis huius loci verbis. Pro *tantas ei vires* enim est in cod. Mediceo scriptum *tanta se iuris*, ut appareat antiqua accusativi casus orthographia servata olim in cod. archetypo fuisse scriptum *tantaseIuris,* id est, *tantas ei uiris.*, vide quae dixi de hoc ipso loco in Nov. annal. philolog. et paedag. suppl. vol. XVII. p. 622. In Ciceronis epistolis lib. IV. ep. 12. §. 4. nuper Orellio auctore a Baitero erat editum: *Multam etiam casus nostri varietatem tibi in scribendo suppeditabunt plenam cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo tuo scripto retinere possit.* Ita haec extrema verba scribenda non esse arguit cod. Mediceus, in quo litteris male separatis compendioque repetendarum litterarum neglecto legitur: *in legem dote scripto retinere*, unde ego demon-

stravi auditoribus meis in cod. archetypo scriptum fuisse: *inlegē-dotescriptoREtinere*, id est, *in legendo te scriptore retinere*, ut haec sententia esset: 'quae vehementer animos hominum, praesertim quum tua scriptio accedat, retinere possit'. Simile compendium causa erroris fuit etiam in Caelii epistola, quae legitur lib. VIII. ep. 5. §. 1., ubi in cod. Mediceo legitur: *hoc more moderari*, quod sine dubio in cod. archetypo ita scriptum fuit: *hoc m̊ reModerari*, ut illud aperte teneatur, quod Bengelius restitui voluit: *Nam si hoc modo rem moderari possemus.*, quem ad modum lib. X. ep. 9. §. 3. *rei moderator* dicitur. Multa id genus alia proferri hoc loco a me possunt, sed admoneor his locis ipsis, ut ad aliud emendationis genus transeam, de quo deinceps in scholis meis egi.

Tertium enim emendationis genus, per se illud quidem non difficilius quam id, de quo modo diximus, cum eoque ipso interdum coniunctum, pertinet ad eos locos, in quibus ab librariis propter eiusdem verbi aut similium verborum repetitionem titubatum esse videtur, quibus in locis sollers criticus in coniectura facienda maxime similitudine verborum ducetur, ut aut unam vocem, quae oblitterata esse videatur, reprehendat aut etiam plura, quae omissa esse videantur, verba restituat. In hoc autem genere coniectura a locis facillimis ad emendandum gradatim ad difficillimos locos sanandos tuto ascendere potest, si caute ac pedetemptim procedit. De hoc igitur genere commemoravi docendi causa primum locos eius modi, qualis est Ciceronis, apud quem ante me vulgo legebatur lib. de officiis II. c. 14. §. 48. *quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe universam excitat.*, quae oratio et debilem habet sententiam neque cum eo, quod scriptum est in libris, concordat. In his enim, quantum scio, omnibus scriptum est: *ea saepe universam excitat gloriam.* Quam ob rem locum ita constituendum ostendi, ut scriberem: *ea saepe universam* (multitudinem) *excitat ad gloriam. ad* praepositio quam facile post

excitat, praesertim si, id quod saepe factum est in libris, *at,* scriberetur, excidere potuerit apparet, vide quae dixi in Nov. annal. philol. et paedagog. vol. LXXI. p. 536. et confer Ciceronis epistolarum ad Atticum lib. VIII. ep. 12. D. §. 2., quo in loco quom vulgo legeretur: *ante quam omnes copiae adversariorum conveniant,* in cod. autem Mediceo pro *adversariorum* legeretur *adversarium,* recte Io. G. Baiterus scribendum esse vidit: *ante quam omnes copiae ad adversarium conveniant.* Vix est quod commemorem in simili causa in Ciceronis oratione pro C. Rabirio Postumo c. 2. §. 4. *augere re, fide sustentare* pro *re augere* etc. et in Philippica II. c. 22. §. 55. *belli causa, causa pestis atque exitii fuit* pro *causa belli, causa pestis* etc. a me scriptum esse, quo utroque in loco nuper C. Halmius meam rationem iure secutus est. Id pertinet etiam ad eos locos, ubi non eaedem plane syllabae, sed similes tamen a librariis omissae esse videntur, veluti in epistola Mithridatis, quae fuit in C. Sallustii Crispi historiarum lib. IV., §. 17. ed. Kritz., ubi vulgo haec ita scripta leguntur: *An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse neque quidquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium* etc. Sed quum in cod. archetypo sine dubio scriptum esset *nisi partum,* non *nisi raptum* — illud enim in cod. Vaticino primo totidem litteris scriptum est —, rectam iam viam emendandi eius loci ingressus est Douza, qui scribi voluit *nisi armis partum.* Mihi tamen facilior haec ratio visa est, ut scriberemus: *nisi vi partum,* quod si esset scriptum *nısıuıpartum* aut etiam *n̍uıpartum,* facile in *nisipartum* depravari potuit. De formula ipsa conf. orationem L. Philippi lib. 1, n. 51. §. 15. ed. Kritz.: *quoi nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam.* Similis librariorum error facile agnoscitur in Ciceronis oratione de domo sua c. 30. §. 78., ubi vulgo legebatur: *qui cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant*

Latini, qui non erant auctores facti nomenque dederant., quae tamen verba neque bonam habent sententiam neque in libris ita habentur. In libris enim pro *Latini, qui non erant* scriptum est *Latini. hi erant* vel *Latini hii erant*, unde ego iam olim conieci scribendum esse: *Latini, nisi erant auctores facti* etc., quae coniectura mea nuper testimonio cod. Parisini num. 7794., qui est collatus a C. Halmio, comprobata est, in quo scriptum est: *Latini erant*, nisi quod antiqua manus post verbum *Latini* in margine *ni* ascripsit. Videtur igitur in cod. archetypo scriptum fuisse *Latini n̄ erant*, id est, *Latini, nisi erant.* Hinc factum est ut in cod. Parisino *nisi* prorsus omitteretur, in aliis libris *hi* vel *hii* scriberetur. Iure igitur hoc quoque loco meam rationem, qua sententia cum scripto mirifice concordat, secutus est Baiterus, qui idem in eadem oratione c. 11. §. 30. meam coniecturam recepit in verbis his: *libentissime praedicabo Cn. Pompeium studio et auctoritate aeque atque unum quemque vestrum — pro salute mea laborasse.*, ubi in libris omnibus *aeque* legitur omisso *atque*, pro quo falso in editionibus *ut* substitutum est. Similis causa etiam est orationis pro Cn. Plancio c. 36. §. 89., quo in loco quum in libris scriptum esset *tamen ob illam, quod*, pro quo Orellius auctore Garatonio scripserat *tamen quum*, ego conieci scribendum *tamen ob illam causam, quod*, qua in re recte nuper me secutus est C. Halmius. *cā* enim, id est *causam*, facile excidit post *illā*. Non aliter res comparata est in oratione pro L. Murena c. 38. §. 83., ubi quum vulgo legeretur: *His tantis in rebus tantisque in periculis est tuum, M. Cato, qui mihi non tibi, sed patriae natus es, videre quid agatur* etc., in libris autem non *natus es*, quod ne veram quidem habet sententiam, sed *natus esse*, scriptum esset, iam superiore tempore conieci scribendum: *qui mihi non tibi, sed patriae natus esse videris, videre quid agatur* etc., in quam coniecturam incidit etiam Madvigius ad Ciceronis libros de finibus p. 225.,

in Addendis p. 869. fassus a me occupatam esse emendationem, quam nuper etiam C. Halmius secutus est nisi quod *videare* pro *videris* scripsit. Fortasse etiam in Ciceronis epistolis lib. II. ep. 4. §. 1., ubi nunc de Ursini coniectura legitur: *Tuarum enim rerum domesticos habes et scriptores et nuntios.*, quom in cod. Mediceo *domesticarum* habeatur, scribendum est: *Tuarum enim rerum domesticarum domesticos habes et scriptores et nuntios.* Multis exemplis haec emendandi ratio commendari potest, sed non addam nisi unum locum Caelii in epistolis Ciceronis lib. VIII. ep. 3. §. 3., ubi vulgo scribitur: *Qui tibi istuc, inquis, in mentem venit, homini non inepto? Aliquid ex tam multis tuis monumentis exstare, quod nostrae amicitiae memoriam posteris quoque prodat.*, quam orationem quum non constare videret Manutius, *velim* post *prodat* adiici voluit, Wesenbergius autem scribi: *Volo aliquid ex tam multis tuis monumentis* etc. Ego scripsi: *Qui tibi istuc, inquis, in mentem venit, homini non inepto? Opto aliquod ex tam multis tuis monumentis exstare, quod* etc. Sed venio ad graviora. Saepe numero enim factum est, ut propter similitudinem verborum, quae in aliquo loco repeterentur, non una aliqua vox omitteretur, sed plura verba, interdum tota enuntiata omitterentur a librariis, qui oculis aberrantes ab una voce ad alteram similem ea verba, quae inter utramque vocem scripta erant in eo libro, quem exscribebant, prorsus neglexerunt. Id tam saepe factum est ut per se exemplis firmandum non fuerit, quibus tamen in altera artis criticae parte defuncti eramus. Hoc loco tantum modo hoc ostendendum erat quantum id ipsum valeret ad certam emendationem eorum locorum, qui omissione verborum corrupti esse viderentur. In hoc genere commemorandus esse primo loco videtur locus is, quem alii aliter critici constituerunt neque tamen usque adhuc prorsus emendavisse videntur. Legitur is in Ciceronis epistolis lib. II. ep. 4. §. 1. in codice Mediceo sic scriptus: *Quid est quod*

possit graviter a Cicerone scribi ad Curionem nisi de re publica? Atque in hoc genere haec mea causa est, ut neque ea, quae nunc sentio, velim scribere. Apparet extremum enuntiatum esse debile ac mancum. Ernestius igitur scribi voluit: *neque ea, quae sentio nec quae non sentio,* verbis non satis concinnis. Melius in hac parte Baiterus proposuit: *neque ea, quae sentio, neque ea, quae non sentio.* Madvigius in Opusculis Academ. prior. p. 396 sq. quum de universa hac emendandi ratione tum de hoc ipso loco rectissime iudicavit potuisse etiam plura excidisse, quapropter ille hoc proposuit: *ut neque ea, quae sentio, audeam, neque ea, quae non sentio, velim scribere.* Id sane multum habet quo se commendet. Illud unum cum eo, quod scriptum est, discrepat, quod *nunc* in cod. Mediceo ante *sentio* legitur. Quam ob rem in Madvigiana ratione scribi velim: *ut neque ea, quae nunc sentio, audeam, neque ea, quae non sentio, velim scribere,* in Baiteriana: *ut neque ea, quae nunc sentio, neque ea, quae non sentio, velim scribere.* In eisdem Ciceronis epistolis lib. V. ep. 20. §. 4. nunc quidem ex antiqua correctione editur: *prudentiae* (fructu me privas), *cum rem a me non insipienter excogitatam ne cogitatam quidem putas.* In cod. Mediceo verba *ne cogitatam* non habentur, ut propter ὁμοιοτέλευτον aliquid omissum esse appareat. Ex antiqua correctione vulgo additum est *ne cogitatam.* Sed ne sic quidem sententia satis constat, quapropter ego scribendum proposui: *cum rem a me non insipienter excogitatam a me ne cogitatam quidem putas.* In eisdem epistolis lib. VIII. ep. 4. §. 2. leguntur haec: *Qua in re mihi videtur illud perquam venuste cecidisse, quod a reliquis quoque usque eo est animadversum, ut Curio, qui nihil consilio facit, ratione et insidiis usus videretur in evitandis iis consiliis, qui se intenderant adversarios in eius tribunatum* etc. Haec corrupta esse apparet, neque veri similis est eorum coniectura, qui pro *iis consiliis* scribi voluerunt *eorum consiliis.* Ego

4*

scribendum proposui: *in evitandis iis consiliis, quae inita erant ab illis, qui se* etc. Facile enim librarii oculus ab extremis syllabis *iliis* verbi *consiliis* aberrare potuit ad vocem *illis* et ea, quae interposita erant, omittere. Persimilis est ille locus, qui habetur in Ciceronis epistolis lib. XI. ep. 28. §. 3., ubi quod in cod. Mediceo habetur: *Aiunt ênim patriae amicitiam praeponendam esse, proinde ac si iam vicerint obitum eius rei publicae fuisse utilem*, vulgo sic emendatum est, ut scriberetur: *patriam amicitiae praeponendam esse.* Sic sententia quidem constat, sed discrepat tamen cum eo, quod scriptum est. Quam ob rem non dubitavi reponere: *Aiunt enim patriam amicitiae, non patriae amicitiam praeponendam esse.* Addam unum locum Ciceronis ex oratione de provinciis consularibus c. 4. §. 9., in quo emendando mihi visus est Madvigius viam rectam ingressus esse, sed in ipsis verbis verum non plane vidisse. Leguntur ibi in libris omnibus haec verba: *Igitur in Syria imperatore illo nihil aliud actum est nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis* etc. Quae verba aperte corrupta sunt. Madvigius scribi voluit: *nihil aliud neque cogitatum neque actum est*, quod etsi cum eo, quod scriptum est, minime per se dissentit, tamen perversam habet sententiam propterea, quod quid imperatore illo in Syria cogitatum sit, quaeri non potest, quid actum aut gestum sit, id quaeri potest. Ego non dubito quin Cicero scripserit: *nihil aliud neque gestum neque actum est* etc., qui in simili causa dixerit in Pisonem c. 17. §. 40. *quid tandem erat actum aut gestum in tua provincia, de quo ad senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret?* Sed omissis his, quae facilia videbantur, veni ad locum difficiliorem illum quidem, sed tamen ad erudiendos iuvenum animos in hoc genere, ut opinor, maxime idoneum, qui legitur in Plauti milite glorioso act. III. sc. 1. v. 133. (v. 727 sqq. ed. Ritsch.), de quo dixi in Nov. annal. philol. et paedagog. vol. LXIV. p. 201 sqq., ubi Fridericus Ritschelius, criticus

ingeniosus, inchoavit emendationem, non perfecit. Legebatur ibi de Acidalii sententia ante Ritschelium vulgo:

Sicuti merci pretium stat uti pro virtute veneat,
quae improba est merces, pro vitio dominum pretio pauperet.

Quom autem eorum verborum loco cod. Ambrosianus palimpsestus scriptum haberet:

SICUTMERCIPRETIUMSTATUITQUIESTPROBUSAGORAXOM[S]
QUAEPROBAESTPROMERCISUITIODOMINUMPRETIO........,

cod. autem vetus Camerarii exhiberet:

Sicuti merci pretium statuit pro virtute ut veniat
Que improba si pro mercedis vitio dominum pretio pauper erit,

a cuius scriptura ceteri libri non recedunt nisi in rebus levioribus, Nonius vero p. 157, 5. adferret versum extremum sic scriptum: *quae improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperat*, unde ed. princeps emendata est, in qua et *est* pro *si* scriptum est et *pauperat* pro *pauper erit*, praeterea idem Nonius p. 415, 22. haec laudaret: *quae improba est mers pretium eis statuis pro virtute et neviant* rebus iam ita comparatis recte intellexit Ritschelius tres hoc loco versus restituendos esse, quorum primam et extremam fere partem agnoscimus ex cod. Ambrosiano his verbis emendatius scriptis:

sicut merci pretium statuit, qui est probus agoranomus,
quae proba est . . . .
. . . . . . *pro mercis vitio dominum pretio* . . . . .,

primam autem et extremam eorum versuum partem hanc agnoscimus e cod. Camerarii vetere et decurtato et reliquis:

sicut merci pretium statuit . . . .
. . . . *pro virtute ut veneat,*
quae improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperet.

Haec igitur, quae in duabus librorum classibus servata sunt, si

componimus, iam Plauti verba haec habebimus, sicuti recte vidit Ritschelius, quem secutus est A. Fleckeisenus:

sicut merci pretium statuit, qui est probus agoranomus,
quae proba est . . . . pro virtute ut veneat,
quae improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperet.

Usque adhuc nobis convenit cum Ritschelio, sed quod lacunam, quae in medio mansit, sic expleri voluit, ut eo loco aut: *aut luculenta,* scriberetur aut etiam: *et ut esse oportet,* in eo iudicium nostrum vehementer ab illius ratione discrepat. Nam ex artis praeceptis non solum sententia ipsa per sese constare debet, sed etiam cum eo, quod scriptum est, quoad eius fieri poterit, concordare, ut non modo emendationis ratio, verum etiam corruptelae causa appareat. Et in cod. Ambrosiani scriptura facile causam, quam ob rem librarius a verbis *quae proba est* aberraverit ad verba *quae improba est* et id, quod in medio est, omiserit, agnoscimus. In verbis autem iis, quae sunt in reliquis libris, si Ritschelii rationem sequamur, nihil eius modi invenimus, quo librarii error ortus esse videatur. Quod quom ita sit, veri simile non est verba eius modi, qualia suspicatus est criticus Bonnensis ibi olim scripta fuisse, hinc excidisse: immo, si quidquam pro certo adfirmari potest, hoc contendere possumus, etiam librarium, a quo corruptela in alteram codicum familiam primum illata est, simili re in errorem inductum esse, ut librarium codicis Ambrosiani. Quom igitur in hac codicum familia corruptela in verbo *statuit* orta esset, dubitari plane non posse pronuntiavi quin etiam in hac lacuna verbum *statuit* ponendum esset et eo quidem loco, ubi extrema verba iam integra in illis libris legerentur, ut ex artis praeceptis iam haec verba manifesto deprehenderemus:

sicut merci pretium statuit, qui est probus agoranomus,
quae proba est . . . statuit pro virtute ut veneat,
quae improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperat.

Sic enim apparet in scriptura cod. Ambrosiani librarium a verbis *quae proba est* ad verba *quae improba est* delapsum esse, in illa vero scriptura, quae est reliquorum codicum, ab uno *statuit*, quod est in versu primo, ad alterum *statuit*, quod sine dubio fuit etiam in versu secundo, aberravisse. Id ita verum esse non solum coniectura nobis probabile visum est, sed certis etiam vestigiis, immo vero iusto ac vero testimonio demonstrari a me potuit. In altero enim loco Nonii p. 415, 22., ubi corrupta haec verba leguntur: *quae improba est mers pretium eis statuis pro virtute et neviat*, dubitari plane non potest quin integrum versum secundum habeamus, qui facile sic emendari potest:

quae proba est mers, pretium ei statuit pro virtute ut veneat,

ut iam pro certo adfirmare possimus in Plauti libris haec verba, in quibus nunc etiam indicativus *pauperat* a Nonio adsumendus erat, sic olim scripta fuisse:

sicut merci pretium statuit, qui est probus agoranomos:
quae proba est merx, pretium ei statuit pro virtute ut veneat,
quae improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperat.

Sed hic certis vestigiis veram scripturam persequi potueramus, ut liberae coniecturae nihil paene spatii relictum esset. At tamen etiam iis locis, in quibus ea adiumenta non haberemus, aliquid in eius modi causa auditores meos audere iussi, modo pedetemptim progrederentur et nihil temere nec sine idonea causa factum esse arbitrarentur. Usus sum pro exemplo Aristophanis loco de Acharnensibus, qui legitur vulgo v. 1140 sqq. his verbis:

ΛΑΜ. τὴν ἀσπίδ᾽ αἴρου καὶ βάδιζ᾽, ὦ παῖ, λαβών.
νίφει. βεβαιάξ· χειμέρια τὰ πράγματα.
ΔΙΚ. αἴρου. τὸ δεῖπνον· συμποτικὰ τὰ πράγματα.

His in verbis primum hoc offendit, quod Dicaeopolis, qui usque adhuc totidem verbis, Lamachus quod dixerat, ei reddiderat, iam uno versu in responsione sua defungitur, quom adversarius duobus

locutus sit, idque eo magis hoc loco molestum est, quia adversarii qui adhuc fuerant iam discedunt in diversas partes, ut Dicaeopolis magnum quiddam extremo hoc loco addere debuerit. Sic igitur neque externus verborum ambitus nobis hic satis facit nec ipsa sententia. Huc accedit, ut corruptelae suspicio augeatur etiam ipsis librorum testimoniis. In cod. enim Ravennati omissus est versus 1141. *νίφει. βεβαιάξ· χειμέρια τὰ πράγματα*, e cod. autem Florentino *Γ*. itemque e cod. Parisino A. excidit versus 1142. *αἶρου τὸ δεῖπνον· συμποτικὰ τὰ πράγματα.* Quae quom ita sint, non solum admonemur, verum paene cogimur, ut hic gravius aliquid audeamus. Quam ob rem similitudine non solum verborum ductus, verum ipsa etiam sententia, quae requiritur hoc loco, conieci olim ab Aristophane eum locum in hunc fere modum scriptum fuisse:

ΛΑΜ. τὴν ἀσπίδ' αἶρου καὶ βάδιζ', ὦ παῖ, λαβών.
νίφει. βεβαιάξ· χειμέρια τὰ πράγματα.
ΔΙΚ. αἶρου τὸ δεῖπνον καὶ βάδιζ', ὦ παῖ, λαβών.
κνισᾷ. βεβαιάξ· συμποτικὰ τὰ πράγματα.

Et verba quidem reliqua unde sumpserim apparet: ipsa enim ex Lamachi oratione sese offerunt: *κνισᾷ* autem scripsi respiciens v. 1044 sqq., ubi Dicaeopolin appellans chorus dicit haec:

ἀποκτενεῖς λιμῷ με καὶ
τοὺς γείτονας κνίσῃ τε καὶ
φωνῇ τοιαῦτα λάσκων.

Sed hic iam finem faciam. Neque enim permittit spatium meae scriptioni concessum, ut plura addam de reliquis emendationum, quae fiunt per coniecturam, generibus, quae fortasse tum persequar, si quando mihi rursus eius modi scribendi potestas data erit.

Reliquum est, ut quo eventu hoc anno de praemio eruditionis a commilitonibus certatum sit, quaeque nova in proximum annum proposita sint argumenta exponatur.

Ac Theologorum quidem et Medicorum Ordines nullam acceperunt dissertationem.

A Iurisconsultorum Ordine propositam quaestionem *de locatione et conductione operis* tractaverunt tres. Horum duos

GUSTAVUM DE WEBER

Dresdanum, iuris studiosum,

et

CAROLUM MAURITIUM AEMILIUM HAGEN

Hohensteiniensem, iuris studiosum,

laudabilem ob industriam in tractanda quaestione collocatam iam ad beneficia in ipsos conferenda summis rerum nostrarum academicarum curatoribus Ordo commendavit, tertium certe publica laudatione dignum iudicavit. Est is

GUSTAVUS MAYLAENDER

Dessaviensis, iuris studiosus.

Quae Philosophorum Ordo proposuit argumenta plures nacta sunt qui solvere conarentur.

Ac prima quidem classis *de condicione opificum apud veteres Graecos* disputare iusserat. Hanc quaestionem duo tractaverunt. Quorum etsi is, qui verbis *deficiunt vires, non deerit iusta voluntas* suam dissertationem insignivit, et disputandi arte et rei ex ipsis fontibus repetendae studio aliquantum praestat alteri, qui suam Tibulli verbis *est nobis voluisse satis* inscripsit, uterque tamen eo, quod nulla fere politicarum doctrinarum scientia instructus ad tractandum historicum argumentum accessit, rei ac sibi nimis angustos terminos statuit quam ut praemio dignus esse videri potuerit. Nihilo minus utrumque ob diligentiam in rem tractatu haud facilem impensam et publice laudare et summis academiae curatoribus ad aliquam eius remunerationem percipiendam commendare Ordo decrevit. Apertis scidis reperti sunt auctores prioris

GERHARDUS AUGUSTUS HERMANNUS FROHBERGER

Lipsiensis, philologiae studiosus,

posterioris

CAROLUS FRIDERICUS HULDGREEN

Dresdanus, philologiae studiosus.

Magis successit eis, qui ab altera classe propositam quaestionem tractaverunt: *Darlegung und Kritik der Schopenhauerschen Philosophie.* Duas item de hac quaestione scriptas dissertationes Ordo accepit. Harum ea, quae verbis Platonis *οὐδὲν ἥδιον ἔμοιγε, εἰ μὴ τυγχάνει ἀληθὲς ὄν* inscripta est, tam recte acute accurate scripta est, ut praeter omnem dubitationem praemio digna visa sit. Eius auctor est

GEORGIUS CAROLUS RUDOLPHUS SEYDEL

Dresdanus, theologiae candidatus, philosophiae studiosus.

Distat ab hoc aliquantum alter, qui Kantii dictum *nur in der Erfahrung ist Wahrheit* scripto suo inscripsit, verum ita tamen distat, ut et ipse non sine successu dicendus sit rem suam tractavisse, adeoque, si non exstitisset qui palmam ei praeriperet, praemio fortasse haud indignus iudicatus esset. Is igitur certe publica laudatione et dimidia parte pretii dignus Ordini visus est. Reclusa scida inventus est

CAROLUS GEORGIUS BAEHR

Dresdanus, philosophiae studiosus.

Iam in proximum annum argumenta proponuntur haec.

Ab Ordine Theologorum: *Exponatur quam vim et dignitatem doctrina Novi Testamenti τῷ σώματι tribuat.*

Ab Ordine Iurisconsultorum: *An et quibus condicionibus positis fieri possit, ut per pactum inter alios initum iura nobis acquirantur.*

Ab Ordine Medicorum: *Medicamina varia excretionem alvinam moventia discrepant inter se non solum ratione qua id perficiunt, sed aliis etiam effectibus cum illo effectu coniunctis. Colligantur igitur hac de re observata aliorum additis experimentis propriis in animalibus factis, quibus duorum medicaminum diversi effectus inter se comparentur, nimirum salis cuiusdam laxantis et calomelanos aut rhei aut olei Ricini aut aloës. Observationes in aegrotis hominibus et experimenta in sanis nequaquam necessaria sunt, at vero lubenter accipientur.*

Ab Ordinis Philosophorum classe prima: *Disputetur de oratione Lysiae in Eratosthenem, et ita quidem, ut non solum quae ad eius historiam pertinent accurate exponantur, verum etiam quo iure nuper ab A. Heckero (in dissertatione quae prodiit Lugd. Bat.* 1848*) in dubium vocata sit examinatis singulis locis exploretur.*

Ab eiusdem Ordinis classe altera: *Prüfung der Herbart'schen Theorie des räumlichen und zeitlichen Vorstellens mit Rücksicht auf die neueren psychologischen und physiologischen Untersuchungen über die Thätigkeit der Sinne (Vgl. über die Litteratur der Aufgabe W. F. Volkmann's Grundriss der Psychologie, Halle* 1856*).*

Eiusdem Ordinis tertia classis argumentum iam superiore anno propositum in proximum prorogavit. Est autem hoc: *Ueber den Einfluss der verschiedenen Körper, besonders der elektrischen Nichtleiter, auf die über ihrer Oberfläche schwingenden Magnetnadeln (Vgl. Arago's Werke Bd. IV. S.* 347—369).

Habetis argumenta, carissimi commilitones, in quibus pertractandis diligentiam ingenium vires vestras abunde satis licet exercere. Itaque eos, qui haec certamina subire volent, rogamus ut scripta sua, addita obsignata scida nomen scriptoris continente dictoque eodem quo scriptum insignita, ante kalendas Augustas decanis tradant.

P. P. pridie Kal. Novembres a. MDCCCLVI.

LIPSIAE,

TYPIS A. EDELMANNI,

TYPOGR. ACAD.